Kissel, Maximilianus
De ratione quae Lockii inter et Kantii placita intercedat

DE RATIONE

QUAE

LOCKII INTER ET KANTII PLACITA

INTERCEDAT.

PARS I.

COMMENTATIO PHILOSOPHICA

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

MAXIMILIANUS KISSEL,

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXIX.

Lockii et Kantii quae fuerint de logice merita *).

α. Quanti fecerint logicen.

Quoniam hic de logice egimus, non alienum esse videtur, eorum, quos quasi parentes hujus scientiae veneramur, paucis meminisse. Primus enim, quod sciam, Lockius intellexit — nam de Aristotele taceo —, quanta esset vis in intellectus physiologia, et hic ipse toti operi sufficere conatus est; Kantius in exiguum angustumque conclusit quaestionem, sibi vero solus esse videbatur criticus.

Praefatur libro suo Lockius, aliquando sibi cum amicis disceptanti in mentem venisse, plane aliam esse viam ineundam, eam videlicet, ut, priusquam de natura rerum cogitetur, statui possit, quid valeat intellectus et quid sit intellectui accommodatum, quid non

*) Omissa sunt, quae in commentatione antecedunt, haec dico: prooemium de scientiae continuatione. de partibus scientiae primariis, primum quidem de ethice, de proposito ethices, de progressu ethico et de ethices dignitate, tum de scientia sive de iis quae sunt, de proposito et de progressu scientiae, postremo de logice sive de iis quae sunt intellecta, de proposito logices, de progressu logico et de logices auctoritate.

accommodatum. Quocirca id agendum esse censet, ut mente, quatenus in sui imperii rebus versetur, historice considerata, ratio declaretur, qua perveniat intellectus ad notiones rerum; ut cognitionis nostrae fide explorata, causae enumerentur, cur putemus aliquid verum esse. Sed nihil amplius quam ea descripturus est, quae ex observando intellectu didicit; suo scilicet intellectu observando, sed aliorum intellectus pariter se habere credendum est. Quae quum ita sint, hanc instituit Lockius rationem, ut quaerat primum quae sit idearum, quas in intellectu reperimus, origo et qua via ad illas pervenerimus. Vocat autem ideam quicquid intellectui cogitanti objectum est, sive notio fuerit, sive cogitatio. Deinde, quantam scientiam intellectus his ideis assequatur, quae sit ejus ideis perspicuitas, amplitudo, tum quae sit persuasionis natura et ratio, quique opinionis omnino gradus et causae. Cujus disputationis hos fore fructus existimat Lockius: primum quoniam intellectu nulla sit ingenii facultas sublimior, eo studio maximam laetitiam afferri: deinde cautum iri ea disputatione, ne ingenium, finibus intelligendi superatis, sua facultate altiora petat. Tum sic scepticismi et desidiae remedium parari. Aliter enim quaestiones abundare, controversias augeri, quae quum nunquam clare dijudicentur, alita dubitatione postremo scepticismum afferant. Tum fieri, ut quis de cognitione desperans somno vitam inertem transigat. Intellectus autem physiologiam, quum hominis infirmam et securam dogmatum gravissimorum possessionem mittat, docere, non omnia praecepta, sed ea, quibus

usus vitae conformari possit, esse cognoscenda; eandem docere, mente nostra, nostrae naturae, nostris rebus idonea, intelligi, quaecunque nobis sint utilia, ita ut scientia nostra modo contenti esse debeamus. Homines vero, acquiescentes illius mundi obscuritate intellecta, emolumento suo in hoc investigando elaboraturos esse. Similiter Humius primum esse philosophi officium censet, ut naturam atque fines intellectus indaget; moderato vero scepticismo id effici, ut, mente humana extra intelligentiae fines non egressa, philosophia disceptationibus captu nostro difficilioribus liberetur. Denique Kantius, critica intellectus physiologia totam philosophiam contineri arbitratus, simillime atque Lockius de arte sua hujus fere modi verba fecit: ut quis primum experientiam reliquit, par est quaerere, quemadmodum intellectus ad scientiam a priori pervenerit et quantae sit haec auctoritatis, amplitudinis, fidei. Sed haec scilicet est ingenii humani ratio, ut quam citissime artificium componat et composito demum, num sint fundamenta bene jacta perscrutetur. Metaphysicen igitur adhuc inter tot hominum doctissimorum discrepantes sententias suspensam fuisse, quod usque ad id temporis, qui fieri possit, ut synthetice a priori judicetur, nondum esset exquisitum; quo nimirum metaphysicen contineri totam. Hanc ob rem quisquis adhuc metaphysicen dogmatice conficere conatus est, nihil effecisse putandus est. Etenim quae sunt analytica, antecedunt metaphysicae; quae vero synthetica non critica ratione facta sunt judicia, confirmatione carent. Jis principiis, quae fines intel-

lectus transeunt, coangustatur purae rationis imperium, quum, sensuum fines, in quibus versantur, nimis proferentes, purae i. e. practicae rationis usum loco suo movere videantur. Igitur negativam esse dixeris utilitatem criticae, quod attinet ad philosophiam, quum rationem non tam amplificet, quam emendet erroribusque liberet, ne philosophus extra experientiae cancellos egrediatur, cavens: at revera positiva est. Ea enim jactura, quam ratio speculativa fictae possessionis facit, in scholas cadit, non in homines. Critica scilicet ratione postremo scientia, dogmatico ac parum critico rationis usu, quum vana judicia temere oriantur, quibus aeque probabilia opponuntur, scepticismus efficitur. Per solam criticam, obrussam quandam cujusvis disciplinae, philosophia in tuto collocari potest; sed metaphysicos parum criticos controversiis implicari necesse est, quibus ipsorum praecepta pervertuntur. Rejicit ergo ratio critica arrogantiam illam, qua ex notionibus et principiis diu usitatis pura cognitio fingitur neque origo aut fides perpenditur; ac nisi critica pertractata est, accurata metaphysices scientia existere non potest. Quod si metaphysice criticis principiis obsequitur, primum ipsa, quum ante temere vagata in tenebris erraverit, jam certa scientiae via progredietur; deinde juvenes discendi cupidi commode per dogmatismum de rebus obscuris alucinati vel adeo nova edere enixi, melius tempore utentur; denique si quid contra honestatem et religionem dictum sit, adversariorum ignorantia patefacta, facile redarguetur.

β. Num veri critici fuerint.

Facile ex iis, quae modo attuli, apparebit, Kantium nomine criticismi, quo summum logices gradum significari supra vidimus, quod ipse potissimum eo ascenderat, pro ipsa logice usum esse. Est enim criticus quicunque non temere scientiam veram esse arbitratus, fidem ejus argumentis demonstrat. Sed exiguum hoc est, ad graviora pergimus. Lockii disputationem amplioribus finibus inclusam esse quam Kantii diximus. Kantius enim criticismum totum in una quaestione versari censet: qui fieri potest, ut synthetice a priori judicetur? Lockius intellectus physiologiam omnibus numeris absolutam descripturus est. Gravis differentia, quae quanti momenti sit, suo loco monebimus; nunc iterum pergimus, ut de ipso criticismo nonnihil dicamus.

Omnium primum maxima severitate id animo tenendum est, homines rerum ipsarum prorsus ignaros, proxime de solis ideis suis scire: quicquid ultra ponitur, inconsulte ponitur, dogmatice ponitur. Jam vero, quae sint Lockii et Kantii disciplinae videamus. Ambo praesumptis opinionibus ducuntur; ambobus in ipso viae ingressu persuasum est, Lockio, eas tantummodo res, quae ad vitae usum pertineant, intelligi posse, Kantio rationem speculativam in experientiae finibus esse continendam. Esto; postremo fortasse praefationes scripserint, haec autem oratione procedente argumentis confirmantur. Certe; sed in his ipsis argumentis aliquid dogmatismi restat; nos vero quo aptius ipsas disciplinas animo percipiamus, quale sit

istud, hoc loco praemittere oportet. Lockius dicit: animus est initio tabulae rasae similis; omnes ideae experientia afferuntur; mens autem in his ideis conjungendis et effingendis elaborat. Kantius dicit: percipimus; mens perceptis excitatur et illa formis intuendi, categoriis, ideis includit. Uter est magis dogmaticus, Lockius an Kantius? Esse eorum, quae extra nos sunt, experientiam, esse animum, qui, res esse, quas experiatur, id Kantio tantopere exploratum esse videtur, ut, cur commemoret saltem, vix causam videat; certe si genuinam libri ejus formam spectamus; postea enim admonitus emendavit. Necesse est, res sint, quarum imagines recipiat animus; aliter nimirum formae illae vacuae forent; formas autem esse persuasum habet. Lockius sibi tamen perceptionem, primum illud cognitionis stadium, describendam esse putabat, quo fit, ut a principio egressus artificium componat; Kantius nihil agit, nisi ut syntheticum judicium a priori explicet. Sed ne Lockius quidem satis critice experientiam, animum, mundum esse posuit; quamvis enim postea de sensitiva cognitione disserat (ess. 4, 2, 14), ut praetermittam, num id satis accurate fecerit, hoc ei paulatim demum in mentem venisse videtur, initio vero de rebus minime dubitat. Dixerit quispiam, nihil interesse, utrum quis a primo res externas idearum causas esse ponat, an quis ex ideis demum res externas esse colligat. Immo vero omnes logice intrinsecus ad exteriora progredi decet, fuerit idem effectum versa ratione, illic est scientia, nam criticismo nititur. Hic non est scientia, nam

dogmatismo nititur. Quid igitur refert, animum ab ambobus formale modo subjecti nomen appellari, cujus natura in medio relinquitur, et ne postea quidem definitur? quid refert, Kantium negare, unquam a nobis *τὸ αὐτὸ καθ' αὑτό* intellectum iri? Scilicet ea cautione propius ad veritatem acceditur, sed quod illa temere ponuntur, quum sit a germano criticismo alieno, residuum profecto, unicum fortasse, dogmatismi est, a Becklejo demum ac Fichtio radicitus exstinguendi. Praeparati sumus, qui ad ipsas Lockii et Kantii disciplinas comparandas accedamus. Inveniemus autem, ex Lockio tanquam ex primo fonte omnem posteriorum logicen manasse, et ita tantum Kantii criticismum satis intelligi posse, ut maxime Lockii sententias attenderimus. Itaque sic procedendum esse videtur, ut exponamus continuo, quae Lockius docuerit; dum positis fundamentis singulatim agamus de Humii et Kantii progressibus, quibus pauca de Leibnitzii placitis adjicienda erunt. Verum ad id altera parte pergimus.

II. De logices progressu inde a Lockio usque ad Kantium.

1. Lockii disciplina.

Praeliminaria de Lockii disciplinae partibus.

Si quis sententiam aliquam refutaturus est, triplicem fere rationem inire potest: aut enim genetice

sententiam per errorem exortam esse ostendit, aut logice ipsam sententiam argumentis redarguit, aut constitutive aliam profert sententiam, quae sit aut aeque probabilis aut probabilior. Quae rationes ejusmodi sunt, ut quum singulae adhiberi possint, tum conjunctae solidam demum confutationem efficiant. Haec tria confutandi genera ideo deinceps a Lockio usurpari perversam de principiis innatis doctrinam refellente; neque abhorret sane ab ipsius Lockii consilio, inde potissimum disciplinam ejus totam repetere. Convincit enim doctrinam ita, ut primum dicat, qui factum sit, ut tanti errores exstiterint, deinde ipsam doctrinam parum esse idoneam demonstret, postremo novo suo videlicet systemate veterem opinionem obscuret totam. Harum rationum prima, ut diximus, genetica vel psychologica, altera logica tertia constitutiva esse videtur; hic enim constituit novi aliquid, quo fit ut haec extrema pars et spectetur partibus prioribus perpetuo, et longe amplissima sit et gravissima. Quae quum ita sint, via ni fallor patet nobis, qua Lockii disciplinam ante oculos ponamus, ut primo loco Lockium inducam de eo disputantem, quemadmodum hypothesis exorta sit; hic enim totius operis quasi fundamenta sita sunt; deinde ut quid de ipsis principiis innatis existimandum sit percipiamus, quam propriam refutationem esse liquet, quo facto tempus erit, ut in ipsos Lockianae disciplinae recessus interius penetremus. Qui sint hujus et sequentis disputationis fontes, non uberius exponendum esse censui; etenim inter omnes constat. Maxime usus sum his libris:

Erdmann. Geschichte der neueren Philosophie, Leipzig 1840. — Ueberweg, System der Logik, Bonn 1857. — J. H. Fichte, Beiträge zur Characteristik der neueren Philosophie, 2. Aufl., Sulzbach 1841. — Drobisch, Locke als Vorläufer Kant's, Zeitschr. für exacte Phil. 2.

A. Refutatio genetica.

a. Cur notiones innatas esse statuerint.

α. Notiones omnino.

Omnis intelligentia ex eo pendet, ut iis viribus, quas natura nobis dedit, recte utamur. Sed alii aliter utuntur, itaque alii alia sentiunt intelliguntque. Atqui si studio et industria vires intendimus, quaecunque ad eam conditionem, qua generati sumus a Deo, pertinent, invenimus; ex quo efficitur, ut is, qui Deum ignorat non Dei injustitiam, sed suam socordiam atque ignaviam accusare debeat; in patriae enim angustis saepe opinionibus acquievit. Etenim intelligentia humana sic fere fieri videtur: sensus hominibus res externas quae circa sunt, annunciant; quas ideas modo congruere, modo discrepare, mentis acie adhibita, jam hic comprehendimus. Tum advocata ratione linguae signa materiae isti attribuimus; quo fit, ut animus gradatim notiones concipiat, quibus vim suam agitet exerceatque. Homines igitur quum ipsas ideas tum voces et signa accipiunt. Sed aliquae notiones

ultro intellectui humano offeruntur, itaque innatae esse dicuntur. Quanquam eae notiones, quae ad principia pertinent, minime omnium innatae sunt. Primum enim necesse est, eas notiones, quibus nota omnibus veritas exprimatur, claras esse et perspicuas. Neque vero identitatis notio clara aut perspicua est; quam tantum abest, ut viri docti intelligant penitus ut infantes idiotaeque plane ignorent. Initio enim conatur animus ideas et minus abstractas notiones cogitare. At infantes, quum res externas percipiant, quas ipsa natura notas intellectui impressit, prompta cogitandi facultate non percipient? Similiter impossibilitatis et identitatis notiones, quae contradictionis principio continentur, magna demum meditatione et animi intentione inveniuntur. Fuerint innatae notiones in animo: aut ipsa conscientia, aut memoria servari debent, ita ut si in conscientiam pervenerint, non plane novae esse videantur; nos vero illas, sensibus non impulsi, revocare queamus. Verum et novae esse videntur, neque revocare possumus. Notiones de toto et partibus ad ambitum et numerum referendae sunt; igitur illae non minus quam hae in animis informatae esse debent. Ineptum illud est. Est nota lex, ut parentes liberos ament et tueantur. Neque vero lex sine legislatore neque sine praemio aut poena extra hanc vitam cogitari potest. Sed ideae istae tantopere non innatae sunt, ut saepe ne cultiores quidem homines satis intelligant. Reverendus est Deus: mitto quod infantes, quomodo revereantur, nesciunt; num reverendi notio primitus in infantium animis inscripta est? Bene

esset, si substantiae notionem haberemus; neque enim possumus nostris viribus parare; sed propter id ipsum obscura est.

β. De Dei notione.

Ea notio, quam quis ex omnibus unam innatam esse crediderit, Dei est, quippe qua sublata innata practica principia vix cogitari possint. Sed age consideremus, quomodo in mentem humanam pervenerit. Fac ut puerorum colonia in insulam aliquam missa sit: tantisper carebit Dei notione, dum quis causas rerum attenderit et ad originem usque persecutus in Dei cogitationem inciderit; quo fit, ut et singuli et populi, quorum patria non expers humanitatis est, hac quidem aetate atheismum profiteantur, raro certe puras et sinceras de Deo opiniones habeant. Sin autem exstiterit Dei notio, nequit evanescere; nam quo sublimior est verbi significatio et quo major res agitur, eo altius notio ista demittetur, quae praesertim tam consentanea sit. Quod si quis ex communi Dei opinione et incertis quibusdam vulgi sensibus coegerit, innatam esse notionem: ignis notionem haud scio an non similiter colonorum animis impressam esse dixerit. Hic fortasse dicat aliquis: debebat Deus suam notionem inserere animis; erat enim divinae benignitatis, dare illam omnibus hominibus. Sed temerarium videtur, quid Deus facere debeat disceptare; et vix ita argumentatus collegeris, Deum aliquid fecisse; nempe si faceret Deus pro hominibus, quaecunque divinae benignitatis esse judicant, multa essent necessaria,

quae non sunt. Accedit quod Dei benignitas quum nobis facultates praebuerit inveniendi quaecunque ad munus nostrum pertinent, satis manifesta est. Sed finge innatam esse Dei notionem: in hac omnes consentiant necesse est. Scilicet ita consentiunt, ut ii, qui ejusdem linguae sunt, Deum eadem voce significent. Etenim in una civitate Dei opiniones inter se pugnant vehementer. Pagani profecto non ea de Deo sentiebant, quae Deus in animis informare debebat, si falsas opiniones defendere vellet; nam quod variis paganorum Diis Dei qualitates vel providentiae opera significari dicuntur, vulgus profecto ita non existimavit. Quid Christianos, Judaeos, Mahomedanos commemorem, qui quum unum Deum profiteantur, tamen neque idem, neque vera semper de Deo existimant. Denique sic occurrunt, ut viros sapientes omnium gentium ad rectas de divina unitate et infinitate opiniones pervenisse dicant. Ex quo conficitur, ut primum non omnes pervenerint; deinde ut sapientes pervenerint i. e. ut verissimae opiniones mentis acie recte adhibenda parentur; sed contrarium erat demonstrandum. In eo quod diximus perseveramus: Si Dei notio innata esset, homines illam primam intelligerent; sed sero intelligunt et aliis demum intellectis et tum ea quae magistri dixerunt referunt. Sin Dei notio non innata est, nulla est.

b. Cur principia innata esse statuerint.

Pergamus. Intellectus enim notionibus conjunctis judicia efficit, ex quibus particularia animo proxima

sunt. Sed ex certis notionibus, ut primum intellectus judicans conjunxit, nonnulla vera facillime nascuntur, quum alia non nisi magna notionum serie certo aliquo modo disposita, comparata, deducta denique efficiantur; vocamus illa principia speculativa. Multa ex his decretis perspicuis homines sua cogitatione intelligunt, saepissime vero docti ab aliis. Quae quoniam ad unum omnes homines vera esse fatentur, innata esse statuuntur. Eadem fere ratione eas opiniones assequimur, quibus conscientia virtutis et vitiorum nititur; est enim conscientia nostrum de actionum honestate aut turpitudine judicium. Sic igitur morum praecepta oriuntur, quae ut in puerorum animis insculpta sunt, ita, postquam adolevit aetas, magis confirmantur, dum dies tempusque illa ad principiorum auctoritatem producit, cui nemo repugnare ausit. Homines autem ita educati, quin placita illa, quae quando coeperint intelligere, non vident, a Deo et natura insita et quasi consignata sint in animis, minime dubitant. Quod eo certius evenit, quod homines, quum plane vivere nequeant, ut non in fundamento quodam vel principio infixi sint, tamen in periculo versari solent accipiendi principia cum fide. Igitur quoniam consuetudo raro successu caret, non mirum est, quod homines adulti non ita diligenter perpendunt opiniones suas, quum praesertim non otiosi solum et ingeniosi, verum etiam fortis hominis et animosi illud sit; ceterum stat sententia ad hasce quasi ad obrussam omnes sententias esse exigendas. Quae quum ita sint, innata esse putant principia ista, divina vero reddunt, quae sunt

inepta et absurda. Haud facile haec legerit aliquis attentius, quin principia innata quemadmodum exstiterint perspectum habeat. Scilicet inertes supersedebant in iis examinandis elaborare, quae innata erant; qui vero pro doctis et magistris haberi volebant, id principium, per quod de principiis non est disputandum, lubenter acceperunt.

B. Refutatio logica.

Est haec credo via, qua homines principia omnia intelligunt, et causa, cur intellecta innata esse existument. Nos vero quo magis hypotheseos infirmitatem animo percipiamus, rem repetere paulo altius et attendere hoc loco logica criteria oportet. Sane vir doctus sex principiorum innatorum notas perhibet, sed eae omnes in earum, quas statuit, propositionum unaquaque non inveniuntur. Proinde nobis has quinque notas adhibere liceat.

a. Principia non omnibus nota sunt.

Notiones nobis innatas esse supra demonstravimus; jam vero pergimus ad id quod hinc efficitur: si notiones, ex quibus principia consistunt, non innatae sunt, principia non sunt. Etenim si neque cogitata, quod item demonstravimus, neque vocabula innata sunt, quid restat? Igitur quandoquidem infantes et idiotae, dimidia pars hominum, nomina ignorant, item principia et practica et speculativa ignorant; quae tum

cognoscunt, quum nominibus intellectis aut ultro deprehendunt aut ex aliis accipiunt. Quodsi ita est, non innata sunt.

Huic loco sic occurrere solent:

α. mentem, non clare quidem nec perspicue, sed obscure principia ista intelligere, antequam primum sint audita. Sed hoc scilicet posse mentem ista intelligere significat; at demonstrationes mathematiças item intelligere possumus. Principia non infantium neque indoctorum sunt, sed scholarum et academiarum in populis excultis, tamen si essent innata, in illis clarissime apparerent. Atqui apparuerint: obscurissima sunt.

β. quoniam non possunt non concedere tempus, quo principia innata nondum nota sint, tamen illa prima omnium, ubi coeperit cogitatio, intelligi volunt. Sed infantes et barbari cogitare coeperant manifesto, priusquam de sententiis istis quidquam scirent. Sed fac ut intelligant simul principia homines et cogitare coeperint, tamen non ut innata sint consequitur. Sin vero id innatum appellant, quod homines ratione adhibita intelligunt, doctrina ipsa corruit. Accedit quod ratione non efficitur, ut probetur aliquid (ess. I, 2, 18.).

b. Principia non continuo probantur.

Concedunt infantem, qui verborum significationes nondum perceperit, neque probare principia neque improbare posse. Sed ubi puer claras et perspicuas notiones animo complexus sit, continuo illum nullo duce probare principium contendunt, si quidem im-

pulsus sit, ut videat, utrum notiones ita, ut judicio indicatur, congruant necne. Argumentatio tota tum tantummodo locum haberet, si nulla antecessisset institutio: at antecessit. Tamen ne sic quidem vera esse videtur. Ac primum quidem nota falsa est. Etenim si id judicium innatum esset, quod probaretur continuo: non solum eae propositiones, quibus ideae contrariae secernuntur, particulares quoque, innumerae aliae; verum etiam ideae, quibuscunque judicia ista continentur, innatae essent, quod cum ratione ac rebus minime concordat. Dixerunt sane illa clarissima judicia innata esse, v. c. Herbertii illud: virtute Deus optime colitur, si virtus eas actiones significat, quae sunt divinae voluntati consentaneae; sed magnae profecto utilitatis esset ista propositio, sexcentas vero innatas esse dixeris. Neque enim vereor, ne particulares propositiones, si per se intelligi possunt, ex innatis collectas esse putes, quoniam eae propositiones, quae minus communes sunt, sponte ab iis agnoscuntur, qui eas, quae communes sunt, ignorant; temere nimirum ea judicia, quae non prima percipiuntur et sine quibus certa rerum cognitio existit, clarissimae res et intelligentiae fundamenta appellantur. Atqui omnino non continuo probantur principia, licet nota sint, practica certe. Neque enim morum praecepta dederis, ut non omnibus rationem postulare liceat. Practica principia per se intelligi nequeunt; igitur non innata sunt.

c. Principia non ab omnibus probantur.

Probentur ab omnibus speculativa principia:

practica minime. Virtutis praecepta ex felicitatis desiderio nascuntur; sed quot felicitates, tot virtutes. Virtus quidem ab omnibus probatur, sed quod utilis est, non quod perspicuum principium agnoscitur; justitia vero et pactionis fides propterea quod sunt communia societatis vincula, ab iis quoque, qui hominum amicitiam dimiserunt, observantur. Vera virtutis causa Dei voluntas est; sed avaritia et vitae usu multi commoventur, ut illa principia probent, qui Deum et futuram vitam nihil curant. Igitur si ex actionibus, quid cogitent homines, aestimamus, certissima profecto ratio, vel hic principia ista haud ita magni putari invenimus. Sed judiciis quoque contemni, ex eo apparet, quod principia in hac terra aperte pugnant. Etenim quot putas fidei rationes a diversis hominibus perhiberi? Sunt scilicet permultae opiniones, quae quum perspicua et insita principia appellentur, apud sanos quoque homines multum auctoritate valeant: tamen ex his multae prorsus sunt ineptae; quo fit, ut illud Herbertii: virtute Deus optime colitur, si virtus eas actiones significet, quas alii alibi bonas esse dicunt, minime verum sit. Scelera enim bona fide committebantur, et vix unum praeceptum dixeris, quin populorum consuetudine palam irritum factum sit; nisi forte singulis exploratum sit, eam esse legem, quam natio universa contempserit; quasi vero quis laeto animo id praeceptum violet, quod a Deo datum esse et vindicatum iri sciat. Propterea ut lex, quamvis negligatur, tamen iccirco non ignota esse debeat: si quam legem negligere omnibus licet, hinc sane sequi-

tur, ut non innata sit. Accedit, quod practica principia, quae non speculativa fuerint, non solum opinione, verum etiam actione probentur oportet, ita ut illas perpetuo ad voluntatem nostram vim habere sentiamus. At sunt sane in facultate appetendi principia agendi; sed haec ipsa lege morali coercenda sunt. Sed illud exempli gratia: amatote et tueminor liberos vestros, non semper valet ad hominum actiones. Dixerit quispiam: corrumpi possunt innata principia. Quod si possunt, non omnia consentiunt. Porro tum nihil refert, utrum innata sint principia necne. Denique tam in infantibus, barbaris, indoctis omnino clarissime apparerent, quod fieri supra negavimus.

d. Principia quot sint non exploratum est.

Qui defendunt innata principia, quot essent, nunquam dixerunt. Nempe facile carebimus isto indice, quandoquidem, quae sint innata, quae cognita, patebit manifesto. Nec vero dum quisquam indicavit, et magna profecto fieret dissensio; quippe quum sint, qui cuncta morum praecepta esse negent. Quo fit, ut singulorum opiniones firmissime verae appellentur. Denique si fas est innata principia esse statuere, nonnulla ex Herbertii principiis non magis innata sunt quam alia.

e. Principia non multum prosunt.

Haud magno usui esse videntur principia. Communia sunt; sunt accommodata ad argumentandum et persuadendum, non ad veritatem inveniendam et cogni-

tionem amplificandam. Censesne vero, Deum animis principia impressisse, quorum speculativa non magnae sint utilitatis, practica non per se intelligantur; utraque denique ab aliis sententiis, quas innatas esse nemo contendit, neque claritate neque utilitate internoscantur? Practica principia spectemus: illa nominum cognitioni antecedere debent. Quodsi pateat; homines nominum ignaros necdum patriae moribus et legibus institutos ea praecepta, quae ad fas et nefas pertinent intelligere, practica esse principia concedam. Atqui illa Herbertii: „virtute Deum colito“ et „ad bonam frugem te recipito“ parum in vitae usu prosunt, quoniam boni malique notiones perquam incertae sunt; neque vero dederit Deus principia, de quibus tantopere dubitari possit. Porro si qua lex in animo inscripta est, ita inscripta est, ut praemia et supplicia pro certis habeantur; sed non haberi res ipsa docet; atqui si homines de iis, quae sunt innata, dubitant aut ea ignorant, inutile videtur principia innata flagitare. Quid ergo est? Si via esset indagata, qua homines ad veritatem communem perveniant, facile ingenii viribus diligenter intendendis inveniri poterat. Quaerendum igitur nunc porro est nobis, quae deinceps sit intellectus humani ratio. Hic, ubi viam munivimus, multa ut concessa posuimus; jam vero similem semper et continentem disciplinam exstructuri sumus, quae non alieno fundamento nixa sit. Quanquam non id agimus, ut nos certa et omnibus explorata effari simulemus: verum hic noster mos est, ut

hominis uniuscujusque integrum ac liberum judicium appellemus.

C. Refutatio constitutiva.

Si, qui sint intelligendi gradus et quasi processus, reputo mecum et animo considero, invenio potissimum hos quinque:

I. Tabulam rasam.

Nihil esse principio in intellectu, satis, ut credo, manifestum est. Quo fit, ut animus initio chartae purae instar sit nondum inscriptae literis.

II. Ideas simplices.

Cogitare coepit animus, id est, primae ideae in animum committuntur. Ji, qui animum nunquam non cogitare putant, quum sit cogitatio animi corporis extensio vehementer errant; neque enim ad essentiam sed ad actionem animi cogitatio pertinet, ita ut motus corporum comparari possit.

Sed primae ideae tum in animum immittuntur, quum percipere coepit i. e. quum impulsa extrinsecus perceptio in intellectu oritur. Idearum vero simplicissimarum, ex quibus, ut elementis, reliquae omnes originem ducunt, haec fere sunt genera.

1. Sensatione paratae, ubi rerum externarum imagines, sensibus affectis, mente quasi speculo recipiuntur.

a. Uno sensu. Ea rei facultas, qua ideae in intellectu causa fit, qualitas appellatur; igitur quoniam de sensatione agimus, hoc loco imagines qualitatum sensibilium existunt.

α. Imagines primariarum qualitatum.

Primariae qualitates a re dissolvi nequeunt et veras corporearum proprietatum imagines efficiunt, ita quidem ut certae notiones ex rebus exoriantur et cum nervis communicatae cerebro tradantur. Inter eas ideas, quae tactu afferuntur, gravissima est idea soliditatis sive impenetrabilitatis, per quam impedit corpus, quominus appropinquet aliud. Haec a corpore sejungi nequit neque in alia re nisi in materia invenitur. Propter soliditatem corpus est id quod est, non propter extensionem; et quamvis, nullam esse soliditatem sine spatii extensione concedam, tamen soliditas sine corpore cogitari nequit, spatium sine corpore cogitari potest, quod etiam ii demonstrant, qui de spatio vacuo dubitant; itaque soliditas non est idem quod extensio.

β. Imagines secundariarum qualitatum.

Secundariis qualitatibus eae ideae simplices proferuntur, quae non tam rei proprietates, quam nostros sensus significent; quo fit, ut illis, non verae proprietatum imagines existant.

αα. Quae directe percipiuntur, quo ideae eorum, quae sunt colorata, olentia, sapientia, sonantia, pertinent.

ββ. Quae indirecte percipiuntur (powers). Hae sunt item corporis facultates, sed iis ea primariarum conditio significatur, qua in aliis rebus ideae efficiendae facultas excitatur. Sic sol ceram liquefacere potest.

b. Multis sensibus.

Sic extensionis vel spatii et motionis ideae visu tactuque simul efficiuntur. Scilicet quod corpora solida sunt et moveri possunt, gravissimae eorum qualitates sunt, per quas qualia sint, maxime intelligitur; soliditas vero principatum tenet, quoniam per solam soliditatem corpora motum secum communicare queunt.

2. Reflexione paratae, ubi intellectus nostri actiones percipimus. Liquet me hic animum non solum quum in ideis versatur intelligere, verum etiam quum illis afficitur ut fere fit, v. c. quum cogitatione gaudet aut dolet. Scilicet activitatis illius item imagines intellectus recipit. Quod quum interni sensus ope fiat, de reflexionis ideis hic agimus, quae sunt facultatum vel virium imagines. Sed has non sentiet nisi qui diligenter attenderit; quocirca post ideas sensibiles accipimus. Pertinent igitur huc ideae cogitandi et conandi, quae sunt facultatis cogitandi et conandi imagines, intellectus et voluntatis.

3. Sensatione et reflexione paratae. His adnumero ideas voluptatis et taedii, efficacitatis, unitatis et alias. Saepe videlicet nobis de solis sensibus agere videmur, quum revera jam reflexio accessit. Sunt igitur et sensatio et reflexio quasi solae fe-

nestrae, quibus in intellectus spatium, quod per se obscurum est, lumen idearum immittatur. Hic est mens passiva tota, non profert imagines, sed proferuntur; neque magis illas arcere potest quam speculum imagines, quas exprimit. Hae quidem simplices ideae totius scientiae materia sunt, prorsus illae ab experientia petitae. Potest intellectus novas ideas ex simplicibus componere, nequit novas simplices procreare: tot enim possidet, quot sunt allatae.

III. Ideae complexae.

Concoquit quasi nunc materiam allatam intellectus, ita ut novas ex multis ideis simplicibus componat, et aliam ad aliam referat, et compositas dissolvat; quae quidem sua sponte ac per se ipse facit. Scilicet vires et facultates in mente humana insitae sunt, quibus efficitur, ut ad communia vera perveniat: etenim abstrahendo, comparando, judicando notiones et sententias communes effingimus; sed hae facultates non nisi externo impulsu explicantur. Sic igitur ideis simplicibus conjungendis ideae complexae oriuntur; quae, ut illae cognitionis literis, sic syllabis et vocabulis varie complicatis similes esse videntur. Sunt autem ideae complexae divisae in partes tres:

1. Ideae modorum. Modos appello eas ideas complexas, quibus id significatur, quod substracto cuidam inhaereat necesse est.

a. modi puri, qui una tantum idea simplici continentur. Huc igitur idearum simplicium varietas pertinet.

α. Ex sensatione.

αα. Uno sensu effecti. Sic omne vocabulum ideae soni modus est, ex variis coloribus modi coloris efficiuntur. Si diversi tantum gradus indicantur modis, ne nominantur quidem.

ββ. Multis sensibus effecti. Sic spatii modi, qui maximi momenti sunt. Animo facultas inest figuras, quas sensibus percepit ad arbitrium mutandi et illis repetendis rursusque conjungendis ideis figurarum in infinitum multiplicandi. Similiter in tempore. Si spatium spectas, quod est inter duas res per longitudinem, intervallum invenis; si unum intervallum cum altero intervallo comparas, metiris; si in infinitum metiris, immensitatem cognoscis; longitudine multiplicata forma plana, denique figura existit; si intervallum respicis, quo distat hoc punctum ab aliis, locum habes et quae sunt reliqua.

β. Ex reflexione.

αα. Ad formas actionum. Si quas ideas in nobis non simul, sed aliam post aliam existere reflexione animadvertimus, idea successionis oritur; porro si, quantum distent duae ideae succedentes, spectamus, idea diuturnitatis oritur. Idearum successione quamvis aliam successionem vel diuturnitatem metimur. Dum vero eam diuturnitatem metimur, quae nobis et rebus communis est, periodos invenimus, quibus si diuturnitatem dividimus, temporis notio oritur, ita ut diuturnitati tempus, spatio locus respondeat. Quodsi certas periodos emittimus omnino ad temporis notionem

pervenimus; igitur tam diu tempus deest, quam constantes diuturnitatis partes desunt. Ut ambitum ambitu, sic diuturnitatem diuturnitate tantum metiri possumus; metimur autem perpetuo idearum succedentium numero; temporis mensura sine fine repetita, aeternitas existit.

ββ. Ad ipsas actiones. Voluntatis modos hic mitto; ex cogitationis modis duo maxime huc pertinent:

ααα. perceptio, quo nomine eam mentis conditionem significo, ubi passiva est tota, dum prima cognitio immittitur; haec est bestiarum quoque propria quodammodo.

βββ. Retinentia (retention), facultas scilicet ideas retinendi et quidem quum defigendi obtutum in aliqua re (contemplation) tum ideam elapsam revocandi (memory). Quasi alteram perceptionem dixerim; ad quam animi voluntas vim habere incipit.

γ. Ex sensatione et reflexione.

αα. Numerus. Ideas unitatis repetendo et repetitis comprehendendis unitatis modos sive numeros cognoscimus; sed hi maxime inter se distinguuntur. Quod unicuique numero novus addi potest, idea infinitatis exoritur.

ββ. Vis. Haec notio invenitur ita, ut intellectus et rerum qualitates et ideas mutari sentiens, concludat, ceteris paribus pares mutationes factum iri. Eam vero facultatem, qua quid mutari potest vim passivam sive receptivitatem, eam qua quid mutare potest vim

(power) activam appellamus. Itaque vis magis ex aliorum contentione quam ipsa per sese cognosci atque intelligi potest.

Vim esse tum animadvertimus, quum aliquid mutatur, i. e. quum fit actio. Sed duas modo actiones novimus: cogitationem et motionem. Atqui in rebus corporeis neque cogitationis neque motionis quidquam invenimus; quae possunt acceptam motionem per manus tradere (moveri, mobility) neque vero motionem incipere (movere, motivity). Quo fit, ut rebus corporeis non magnopere, quid vis activa sit assequamur. Sed in animo nostro praeter cogitationem etiam actiones et motiones incipiendi facultatem invenimus, voluntatem videlicet. Igitur quum et voluntas et intellectus animi facultates sint, neque voluntas libera esse, neque intellectus voluntatem praestare potest. Solus animus voluntatem praestat, ipse inopiae et molestiae sensu praeditus; quibus qui maxime vacat, felix est.

b. Modo mixti, qui variis ideis simplicibus conjunctis continentur. Ad hos ideam pulcritudinis refero, quae ex ideis et formae et colorum et voluptatis constat; vel mendacii notionem, quae haec fere complectitur: sonos distinctos, ideas loquentis, verba quibus ideae significantur, affirmativam et negativam verborum conjunctionem quae cum mente loquentis non concordet. Notiones motus, cogitationis, facultatis saepissime in variis conjunctionibus inveniuntur, quum illis omnes actiones, hac omnium actionum causae contineantur. Effingere debet hos modos intellectus,

ut lingua efflorescere possit. Sed quoniam intellectus ad arbitrium conjungit neque eo impeditur, quod primae illae simplices ideae sic conjunctae nusquam inveniuntur, innumerabilis est mixtorum modorum multitudo.

2. Ideae substantiarum.

Substantiae notio quasi medium tenet inter ideas simplices et complexas. Etenim licet ii in circulo versentur, qui substantias et accidentia in ore habent, tamen haec idea revera ab aliis complexis multum differt. Orta quidem sic esse videtur: et sensatione et reflexione certas ideas simplices semper una esse animadvertimus. Sed has simplices ideas se ipsis ferri, cogitari nequit; itaque consuescimus incertum aliquod substractum ponere, quo ferantur qualitates, quae simplices ideas efficiunt (accidentia); hanc vero substantiam vocamus. Quid igitur? attributa substantiarum novimus, i. e. simplices illas sensationis et reflexionis ideas, ex quibus idea complexa constat; substantias ipsas, divinam quoque, ignoramus. Solent autem attributa secundariae qualitates (facultates) esse, quo fit ut haec idea in substantiis tam saepe inveniatur. Substantiarum haec genera sunt:

a. quae cogitari possunt (cogitative), animi qui haud scio an materiales fuerint; quin animos, quicunque non pura sunt activitas, simul materiales esse dixerim, quoniam in materia nulla vis activa est. Dei substantia aeterna et immaterialis est tota, quoniam in ea nulla esse potest passivitas. Animi attributa cogitandi et movendi vis (voluntas) sunt.

b. Quae cogitari nequeunt (incogitative), corpora, quae nihil nisi materia sunt. Attributa eorum sunt soliditas et mobilitas.

3. Ideae relationum.

Si intellectus duas res ita inter se conjungit, ut alteram considerans ad alteram transeat, relatio exoritur. Omnia relationem inire possunt quo fit, ut neque omnes relationes enumerare, neque genera statuere possimus. Maximo et ambitu et momento causae et effectus relatio esse videtur. Quae tum deprehenditur, quum aliquid, sive substantia, sive qualitas fuerit, per alienam actionem esse incipere videmus. Huc igitur temporis et spatii relationes pertinent. Notio identitatis et differentiae tum exoritur, quum rem aliquam, ut nunc est, secum ipsa, ut alio tempore est, comparavimus; personae identitas non ex corporis identitate, sed ex conscientiae unitate pendet. Denique relationes morales huc pertinent.

IV. Vocabula vel signa idearum.

Tanta est inter voces et ideas conjunctio, ut, quanti sit lingua momenti, in ipsis notionibus formandis multifariam appareat. Sic, ut in substantiae notione, cogitata verbo demum constituuntur et definiuntur. Sed eadem lingua multorum errorum causa est, quum verba, quae nihil aut parum significant, subtilissimae doctrinae esse videantur: at locum vacuum in animo indicant. Jam vero de intelligentia, quae judiciis continetur tota, nemo profecto disserat, quin ad

vocabulorum signa diligentissime attenderit. Id esse linguae propositum censeo, ut homo cum homine ideas quam facillime et citissime communicet. Quod ita assequitur maxime, ut vocabula non tam res singulas, quam notiones singulas significent, ideae vero, quae initio erant rerum imagines, tota genera repraesentent. Id autem comparando et abstrahendo efficitur; quae quoniam bestiis facultas deest, lingua deest. Sin idea illa signo terminatur, notionis nomen est sive verbum. Quae quum ita sint, summa linguae lex erit, ut in altero eadem revera idea excitetur, quae verbo significatur. Ideae complexae (modi) definiendo explicabuntur, ita ut alteri ostendamus, quali compositione facta idea existat. Ideae simplices non sunt compositae, itaque hae non definiuntur, sed monstrantur, aut alio vocabulo, quod idem significet, illustrantur. Substantiae nomen, ut natura fert, quum definiendo, tum significata substantia monstranda explicatur.

V. Scientia.

Ideis inter sese conjungendis intelligentia efflorescit, quam, velut ideae simplices literis, complexae syllabis et verbis, enunciationi respondere patet. Percipitur enim per intelligentiam certas ideas conjunctas esse et congruere aut non congruere et disparatas esse; quapropter hic in rationibus versamur, quae inter ideas singulas intercedunt. Quo fit, ut omnes veritates communes in solo intellectu invenire possis, quoniam ideis nostris considerandis assequimur.

1. De partibus scientiae.

Si scientiam universam mente complector, divisa esse videtur in partes tres:

a. Physica (natural philosophy), qua rerum et animorum et corporum videlicet, essentiam, naturam, qualitatem, efficacitatem intelligimus. Hic agitur

α. De rerum identitate et diversitate

β. De rerum coexistentia. Proprietates varias necessario conjunctas esse demonstrandum est.

γ. De aliis rationibus

δ. De rerum existentia. Ea vera, quae ad rerum existentiam pertinent, non aeterna sunt, quoniam per experientiam inveniuntur; quae ad essentiam pertinent, aeterna sunt et ipsis rebus considerandis intelliguntur.

b. Practica, cujus gravissima pars est ethice, doctrina eorum, quae sint facienda, ut bona et utilia proposita, felicitatem maxime assequamur.

c. Semiotica sive logica, quae de signis disputat, quibus utimur ad res intelligendas et ad intelligentiam communicandam: de ideis et vocabulis.

2. De gradibus scientiae.

Spectat scientia idearum conjunctionem vel, si vocabulorum, enunciationem. Quodsi non ad arbitrium conjunctum est et ideae conjunctae revera congruunt, vera est enunciatio. Scilicet vera et falsa non in ideas cadunt, sed in enunciationes; ibi tantum dici possunt, ubi affirmatur aut negatur aliquid, i. e. in intelligentia. Sed quo clarius apparet, ideas enun-

ciatione conjunctas congruere, eo major est veritatis evidentia. Video autem ex variis modis, quibus intellectus idearum congruentiam aut discrepantiam percipit, quinque maxime evidentiae gradus effici, ita ut hi fere intelligentiae gradus (degrees of knowledge) appareant.

a. Intuitiva, quae est firmissima. Hic enim intellectus ideas congruere aut discrepare continuo percipit, nulla advocata alia. Ejusmodi propositiones per se evidentes sunt, neque mens denegare potest; necessario approbat. Ex quo sequitur ut non ex arbitrio aut sponte probemus, quod ajunt Cartesiani; sed determinemur prorsus. Ita quod de nostra existentia scimus, i. e. de tota persona nostra, et animo et corpore. Neque vero generales tantum enunciationes, verum etiam particulares (quod est nigrum non est album) continuo sunt evidentes; quid quod hae, unde illae pendent, primae omnium intelliguntur, ut supra demonstravimus.

b. Demonstrativa, sequens, sed jam dubia neque tantopere evidens. Quae quum argumentationibus, rationibus, demonstrationibus, aliis denique ideis paretur, nititur in intuitiva sciêntia, quoniam quicquid in demonstratione dicitur, continuo evidens esse debet. Ea vero ingenii facultas, qua mediae notiones inveniuntur, conclusiones nectuntur, demonstrationes efficiuntur, dicta confirmantur, ratio vocatur. Huc ergo pertinent disciplina moralis, mathematica, Dei scientia.

c. Sensitiva, quae est neque intuitiva neque demonstrativa, sed tamen pura fide potior. Per hanc

res materiales esse persuasum habemus; neque enim quominus sentiamus aliquid in animo impedire possumus; igitur causa efficiens nequit esse in animo solo posita. Propterea de illis non, ut videtur, rite dubitamus.

d. Fides. Haec certa est probatio, quae propter justas causas semper fit, igitur contra rationem nequit esse. Est sane in fide persuasio et certissima quidem, tamen firmitas scientiae tantummodo est propria; quin adeo si religionis dogmata ex fide firmitatem assequantur, tollitur fides. Igitur nihil pro divino effato haberi debet, quod sit contra rationalem aut sensitivam cognitionem.

e. Opinio, gradus infimus. Scilicet si nulla probaremus judicia, nisi quae directe aut indirecte evidentia fuerint, praeter intuitivam et demonstrativam cognitionem nulla esset persuasio. Sed exiguus profecto persuasionis campus esset. Est aliqua veritatis sphaera, quae quum non sit evidentiae luce collustrata, tamen in verisimilitudinis diluculo versetur, ea vero persuasio, quae verisimilitudine efficitur, opinio est, qua imperfecta hominum scientia adjuvatur. Liquet opinionem non tam necessario quam scientiam probari, neque tamen omnino sponte fit, quoniam est quaedam verisimilitudinis ad intellectum vis. Quae quum ita sint, triplex, si ad rationem revocaveris, enunciatio esse potest:

α. Consentanea rationi, ea videlicet, quae argumentatione, sensatione ad extremum et reflexione nititur v. c. Deum esse.

β. Supra rationem, quam veram aut verisimilem esse, ex principiis istis nequit repeti, sic mortuos esse resurrecturos.

γ. Contra rationem, quae repugnat ideis claris et distinctis, v. c. multos esse Deos.

3. De scientiae fide et auctoritate.

a. De amplificatione scientiae.

Restat, ut quae sit singulorum verorum fides auctoritasque videamus. Hic primum cavendum esse videtur, ne identicis judiciis, iis praesertim, quibus, quod in idea complexa continetur, de eadem praedicatur, analyticis videlicet, illam cognitionem parari arbitremur (trifling propositions ess. 4. 8). Triangulum tribus lateribus esse, verbo verissimum, ad docendum minime idoneum; et centaurum animal esse, non minus verbo verum est quam illud: hominem esse animal.

b. De realitate scientiae.

Majoris momenti illud est, utrum mentis humanae vera omnino ad verba tantum an ad res pertineant, i. e. num ideis judicio conjunctis rerum conjunctio respondeat necne. Si ideae cum rebus congruunt, realis est intelligentia; similiter si idearum conjunctio cum rerum conjunctione congruit. Tota quidem scientia in ideis versatur; sed aliud est in ideis versari prorsus subjectivis, aliud in ideis, quae cum rebus congruant. Quaeritur ergo num quicquid delirant inepti homines eodem jure verum sit atque quod sani judicando et concludendo efficiunt. Igitur nobis hoc

loco maxime, qualis inter ideas et res, quae causae idearum sunt, ratio intercedat exquirendum est. Ne multa: quaenam ideae congruunt cum rebus (are adequate), quae non item (inadequate)? Ac primum quidem ideae simplices rerum qualitatum exempla sunt (ἔκτυπα) et necessario congruunt. Quod non ita dico, quasi imagines rerum sint; sed ut nomina ideis significatis minime similia sunt, ita ideae rerum naturam non exprimunt; quamquam ideae nominum, idearum res causae sunt (ess. 2, 8, 7). Scilicet Deus conjunxit ideas dissimiles cum rebus; sed quoniam ideae rebus excitantur, primariarum qualitatum ideae objectivae sunt. Jam vero ideae complexae nostrae cogitationis, nostri ingenii sunt; ad arbitrium formantur neque num extra nos sit illa conjunctio, curatur. Igitur quam non sint ad externas res accommodatae, ipsae sibi sunt exempla et archetypa, quibuscum congruant, igitur item congruunt. Sed substantiarum ideae ἔκτυπα sunt, quibus respondet res extra intellectum posita; sed ignota illa res est, igitur substantiae idea non congruit. Age vero ad vocabula pergamus. Quae quum notiones significent, minime illas rerum imagines sed ideas complexas, quae cogitando efficiuntur: nihil nisi rationem indicant, quae inter res et intellectum intercedit. Quodsi neglexeris, facile communes quasdam naturas satis notas finxeris, ad quas singulae res in terris generentur. Neque vero sunt ista, neque si essent, intelligi possent. Quid igitur? non ideas efficit intelligentia; at paucae sunt ideae; deest nexus idearum apertus; non satis inquirimus denique in

ideas neque significamus recte. Igitur haec summa est: de rebus et corporeis et maxime animalibus multa ignoramus.

4. De Kantii progressu.

a. De Lockii et Kantii cognatione.

α. Num Lockius empiricus fuerit.

Jacta sunt fundamenta, quibus insistamus deinceps firmiter et jucunde. Itaque nunc, orationis frenis, quos dimisimus de manibus, quasi receptis, quaenam inter Lockium et Kantium ratio intercedat, et primum quidem, quid de Lockio existimandum sit attendimus. Usque ad hunc diem Lockius auctor empirismi et sensualismi invidiosius quam laudabilius vocatur. Hujus rei causa esse videtur, quod Lockius tantam experientiae ad intellectum vim tribuit, ut aperte dixerit: i see no reason to believe that the soul thinks before the senses have furnished it with ideas to think on; quod intellectum negat ideas evadere; vel tabula rasa illa: let us then suppose the mind to be as we say white paper, void of all characters without any ideas; how comes it to be furnished? to this i answer in one word, from experience; in all that our knowledge is founded; and from that it ultimately derives itself (ess. 2, 1, 2). Igitur Erdmannius dicit, exploratum fuisse Lockio, priusquam ad ipsam disquisitionem aggressus esset, omnem scientiam ab experientia ducendam esse. Mihi quidem illud empirici probrum, siquidem est probrum, non tantopere in Lockium cadere videtur, quam putant.

Hic enim ad illud revertor, quod initio dixi, refutare Lockium, quod numquam negligendum est; propterea disciplinam totam ad pugnam illam revocavimus. Ut κοινῶν ἐννοιῶν fidem minueret, sensibus tantum momenti addidit; scilicet necesse est ut the senses have furnished it with ideas, neque vero illud negligendum est to think on. Has autem sententias eo certius assequemur, quo diligentius, quid sit empirismus, perpenderimus. Intelligentiam duobus vulgo contineri putant: et rebus et animo; rectius diceretur rerum ideis et animo, sed de sententia vulgari agimus. Sed alii rebus alii animo majorem vim tribuunt. Si quis igitur, Theaeteti exemplum sequens, αἴσθησιν esse intelligentiam universam dicit, empiricus esse videtur; si quis animo omnia vult effici, rerum quasi lance depressa, intellectualista. Ergo si eum empiricum appellas, qui non omnia innata esse, sed praeter animum aliquid externi statuit, est profecto Lockius empiricus. Sed alteri parti omnia, alteri nihil tribuere vix quisquam potuerit; et facilius Leibnitii ratione omnia ad intellectum revocabis quam ad res externas. Quo fit, ut jam is vocetur empiricus, qui maximam partem scientiae ab experientia ducit, minimi vero experientem facit. Quid vero? Estne Lockius empiricus? non videtur; dimidiam certe negotii partem animo tribuit. Etenim quid percipimus ex Lockii sententia? ideas simplices. Quid ingenii ope fit? omnia alia. Nota sunt illa Kantii: nemo est qui dubitet, quin omnis cognitio ab experientia ordiatur; nam qua tandem re intellectum ad activitatem excitari putas,

nisi rebus, quae sensus moveant et quum ipsae efficiant ideas, tum mentem impellant, ut comparando, conjungendo, sejungendo ex indigesta perceptionum materia eam rerum cognitionem effingat, quam experientiam vocamus? Quid igitur? nonne Kantius item est empiricus? minime; etenim comparandi, conjungendi facultates memorat. At Lockius non memorat? intellectus ideas complexas effingit, intellectus vocabula invenit, judicat intellectus, intelligit. Censesne hunc intellectum duram esse et rasam tabulam, quam isti maxime amplectuntur? Censesne speculum esse rationis expers, quod recipit rerum et actionum imagines neque plus quam recipit? Modo quae postulentur consideres. Concedo Lockium fere totum in iis versari, quae effecta sunt intellectus ope, neque hanc ipsam intellectus opem satis attendere. Itaque multus est in spatii et temporis, in causae et effectus ideis describendis; neque tamen ingenii facultates exhibet, quibus illa inveniantur. Sed ingenium adest; etenim ingenium efficit ex perceptis modos; tamen quoniam idem semper est ingenium, res magis elucent quam illud. Quo fit, ut spatium ex visu tactuque repetat, quasi videri et tangi possit id quod non est: ut vim et causam ex sola rerum mutatione colligi dicat, neque tamen, quo jure ex eo quod percipitur id colligatur quod non percipitur, edoceat. Sed ipse debebat Lockius intelligere, sensibus spatii ideam numquam effici; debebat intelligere, causae notione ad ea escendi, quae sola mente percipiuntur et νοητά dicuntur.

Etenim patet unicuique, intellectum illum, cujus

operam Lockius exsequitur, singulari modo esse institutum, neque aliter institutum esse posse, ut non continuo tota scientia alia sit; patet, et Lockio patere debebat, si homines et abstrahant et comparent, et spatium intelligant et causas, certas indicari mentis humanae leges, quibus obsecuti rerum ideas certa ratione concoquamus; patet has leges non regulas tantum et normas esse, quas cogitatio, si adsit, sequi debeat, ut recte fiat; verum etiam leges esse, quas ipsa cogitatio, si cum alia cogitatione, quae adesse possit, comparaveris, sequatur; scilicet euntes intelligimus, sic eundum esse, ne cadamus, tum ire nos pedibus, non volare alis. Debebat haec omnia Lockius intelligere; etenim tantum abest, ut abhorreant ab ejus ratione, ut illa magis etiam hisce confirmetur. Sed „debebat intelligere" inquis at non intellexit. Tu nimirum, si quod quis debet intelligere, intellexisse dicis, sapientem ex stulto efficis? Concedo, Lockium non tam de eo quod intelligit, quam de iis disputasse quae intelliguntur, ita ut de causa dissereret, de ingenii facultate, qua causa invenitur, non dissereret; quod sane alienum est ab intellectus physiologia. Neque tamen omnino neglexit intellectum; sic hanc ipsam causam in idearum complexarum numerum refert; sed ideae complexae non percipiuntur, sed effinguntur. Quo diutius meditor, eo magis miror, quod tantopere Lockii empirismus diffamatur. Incitari dixit sensibus animum, ut intelligeret, nihil enim percipitur praeter ideas simplices. Quod spatium vel ambitum inter ideas simplices refert, empirismi

est; hic enim nude dictum est: the ideas, we get by more than one sense are of space or extension (ess. 2, 5); sed singula haec sunt, non praetermittenda quidem, neque tamen sola respicienda. Sic ipsum tempus ad ideas complexas pertinet, igitur intellectu invenitur; sed si quis tempus vel causam vel substantiam, quum non percepta sint, ab intellectu effici contendit, nonne idem fere dicere videtur atque is, qui in intellectu temporis intuitionem, causalitatis vero substantiaeque categorias inesse demonstrat?

β. Quantum Lockius ad Kantii disciplinam valuerit.

Incunabula quaedam logices videmus. Materiem congessit Lockius, nondum disposuit; quid esset intellectum, ostendit, ut alius, quid intellexisset, ostenderet. Igitur in ideis versatur totus et fere numquam ad ipsam intelligentiam accedit. Modos enumerat, substantias, relationes; sed judicia, conclusiones spectari oportebat. Illud mihi tanquam πρῶτον ψεῦδος in Lockii disciplina esse videtur, quod quum ipse scientiam universam judiciis contineri diceret, tamen, exquisiturus scientiam, de judicio in extrema demum parte disseruit. De complexis ideis inscripsit, sed de idearum complexione inscribere debebat; etenim modi, substantiae, relationes non nisi judicando oriuntur. A judicio orditur, in judicio terminatur logice. Sensit hoc Kantius maxime, quum disputationem suam ad judicium revocaret totam. Neque tamen ab eo Lockius plane fuit alienus, quoniam dilucide dixit, omnem scientiam et experientia et intellectu effici, ita ut nullus

sit intellectus sine experientia, quam concoquit; nulla sit experientia sine intellectu, qui concoquit; etenim perceptis ideis continuo intellectum accedere. Intelligitur autem omnino nihil nisi judicando. Sed Lockius ab initio, refutandi videlicet studio ablatus, perversam rationem iniit, quum principium ex rebus externis duceret; et quemadmodum ante Kantius perfecit tantum, quod Lockius inchoaverat, ita, quod ad res externas attinet, in eodem constitit. Etenim, prouti vidimus supra, intellectum rebus ad activitatem excitari, ab initio persuasum habet; nec fieri posse, quin cognitio ab experientia ordiatur, putat. Itaque caecas esse intuitiones sine notionibus, inanes notiones sine intuitionibus dictitat. Hic Lockius et Kantius plane consentiunt. Sed aliud est, explorata scientia res spectare, aliud, nondum explorata scientia ipsam scientiam spectare. Experientia vel perceptio omnino non pertinet ad intellectus physiologiam, saltem indirecte tantummodo; haec enim, quum non res, sed rerum intelligentiam consideret, exspectare debet, num quis intelligens, experientiam esse, intelligat, ita ut ab intellectu ad res pergat; sin a rebus orditur, ad intellectum pergit, anachronismus est. Igitur apparet, ne Kantium quidem puram judicii physiologiam assecutum, si summam consideras, in Lockii vestigio stetisse. Verum fieri non poterat, quin πρῶτον illud ψεῦδος· δεύτερον ψεῦδος sequeretur continuo. Hinc enim, quod non ab ipsa intelligentia, sed ab ideis initium fecerat, accidit, ut Lockius ideas perpetuo componi et conjungi crederet neque aliam intelligentiam inveniret

nisi chemicam quandam elementorum mixtionem. Itaque revera ut vocabula literarum, sic judicia idearum additarum summas esse censebat; quod quamvis ineptum videatur, tamen ab initiis logices minime alienum est. Apparet igitur, quum Kantius fere syntheseos auctor habeatur, jam Lockii intelligentiam syntheticam esse totam, synthesi vero sane omnis intelligentia tollitur. At Kantius ita quoque Lockium secutus, quum ad ingenii leges synthesin revocaret, item conjungi componique ideas statuit, analysin vero pro nihilo putavit. Sed de ea re postea monebimus; hoc loco haec attuli, quo clarius dignosceremus, quanta esset inter Kantium et Lockium cognatio. Quae quum ita sint, recte pronunciasse mihi videor, si Kantium, quum Lockii disciplinam explicuerit et confirmaverit, tamen inscium hujus rationem suscepisse dixero, ita ut, loco non mutato, germanus Lockii discipulus vocari possit*).

---

*) Sequitur in commentatione primum id quod ad Kantii disciplinam pertinet, locus de legibus innatis et formis judicandi, alius de formis concludendi, item alius de Humii et Kantii consequentiis. Haec tum excipit disputatio de Leibnitii disciplina. In fine novae logices specimen additum est.